



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Evtropii De Gestis Romanorvm Liber Qvartvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

Carthaginiensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, ne amplius \bar{c} xxx. naues haberet, & quingenta millia pondo argenti darent, captiuos & perfugas redderent. Interim Hannibale ueniente ad Africam, pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt. Legati tamē eorum ex urbe uenientes, à Romanis capti sunt, & iubente Scipione dimissi. Hannibal quoq; frequentibus praelijs uictus, à Scipione petere etiam ipse cœpit pacem. Cum itaq; uentum esset ad colloquium, iisdem conditionibus data est quibus prius, additis quingentis millibus pondo argenti c. millibus librarum propter nouam perfidiam. Carthaginiensibus cōditiones displicuerunt, iusserunt Hannibalem pugnare. Infertur à Scipione & Massinissa rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum. Hannibal tres exploratores ad Scipionis castra misit: quos captos Scipio circunduci per castra iussit, ostendiq; etiam his totum exercitum: mox prandium dari & dimitti, ut renuntiarēt Hannibali, quæ apud Romanos uiderent. Interea prælium ab utroq; duce instructum est, quale uix ulla memoria fuit, cum peritissimi uiri copias suas ad bellum educerent. Scipio uictor recedit, penè ipso Hannibale capto: qui primum cum multis equitibus, deinde cum uiginti, postremo cum quatuor euasit. Inuenta in castris Hannibalis argenti pondo xx. millia, auri octingenta: cætera supellectilia copiosa. Post id certamen, pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio Romam redijt: & ingenti gloria triumphauit, atq; Africanus ex eo appellari cœptus est. Finem accepit secundum Punicum bellum post annum septimum decimum \bar{c} cœperat.

EVTROPII DE GESTIS

ROMANORVM LIBER

QVARTVS.

BELLVM MACEDONICVM.



TRANSACTO Punico bello, secutū est Macedonicū cōtra Philippum regem L. & quingentesimo primo anno ab urbe cōdita. Titus Quintius Flaminius aduersus Philippum regem mittitur: & prospere gessit, & pax ei data est his legibus, ne Græcis ciuitatibus, quas Romani cōtra eum defenderant, bellum inferret: ut captiuos & transfugas redderet, quinquaginta solas naues haberet, reliquas Romanis daret: & per annos decem, quaterna millia pondo argenti præstaret, & obsidem daret filium suum Demetriū. Titus Quintius Flaminius etiam Lacedæmonijs intulit bellum, & ducem eorum Nabidem uicit: & quibus uoluit conditionibus, in fidem accepit, ingenti gloria triumphauit: duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium, & Armenem Nabidis.

Nabidis . Romani captiui , qui sub Hannibale per Græciam uenditi fuerant , uniuersi recepti capitibus rasi sunt ob deterfam seruitutem , currum triumphantis secuti sunt . Eodem tempore Insubres Boij , à quibus Ticinum ciuitas cõdita est , atq; Cenomanni contractis in unum uiribus , cum Amilcare Pœnorũ duce , qui in Italia remanserat : Cremonam , Placentiamq; uastantes , difficillimo bello , à Lucio Furio prætorè sunt superati . Coss. Marcellus in Etruria à Boijs oppressus , magnam partem exercitus perdidit . Cui postea Furius alter Coss. auxilio accessit , atq; ita uniuersam Boiorum gentem , igni , ferrõq; uastantes , prope modum usq; ad nihilum deleuerunt . Transacto bello Macedonico , secutum est Syriacum contra Antiochum regem , P. Cornelio Scipione , Attilio Glabrone Coss. Huic Antiocho Hannibal se iunxerat , Carthaginem patriam suam metu , ne Romanis traderetur , relinquens . Attilius Glabrio in Achaia bene pugnavit : castra regis Antiochi nocturna pugna capta sunt : Ipse fugatur . Philippo , qui contra Antiochum Romanis auxilio fuit , filius Demetrius redditus est . Publio Scipione Africano iterum , Tito Sempronio Longo Coss. apud Mediolanum decem millia Gallorum caesa , Romanorum uero v . m . occisa sunt . Minutius à Liguribus in extremum periculi adductus , & insidijs hostium circumuentus , uix Numidarum equitum industria liberatus est . L. Cornelio Scipione . C. Lælio Coss. Scipio Africanus , fratri suo Cornelio Scipioni Consuli , legatus contra Antiochum profectus est . Hannibal , qui cum Antiocho erat , nauali prælio uictus est . Ipse postea Antiochus circa Sypilum Magnesium Asiæ ciuitatem , à Coss. Cornelio Scipione ingenti prælio fusus est . auxilio fuit in ea pugna Romanis Eumenies Attali regis frater , qui Eumeniam in Phrygia condidit . Quinq; millia equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt . Tunc rex Antiochus pacem petijt : iisdem cõditionibus data est à senatu , quamquam uicto , quibus ante offerebatur , ut ex Europa & Asia recederet : atque intra Tarum se contineret : decem millia talentorum , & xx . obsides præberet : Hannibalem concitatore prælij dederet , Eumeni regi donatae sunt à senatu omnes Asiæ ciuitates , quas Antiochus bello perdiderat : & Rhodijs , qui auxilium Romanis contra regem Antiochum tulerunt , multæ urbes concessæ sunt . Scipio Romam redijt : & ingenti gloria triumphauit . Nomen & ipse ad imitationem fratris Asiatici accepit , quia Asiam uicerat : sicuti frater ipsius propter Africam domitam Africanus appellabatur . L. Bebius in Hispaniam proficiscens , à Liguribus circumuentus cum uniuerso exercitu occisus est , adeo , ut ne nuntium quidem superfuisse constet : ut internitionem ipsam Romæ Massilienses nuntiare curauerint . Marcus Coss. aduersus Ligures profectus superatusque , iiii millia militum amisit . Spurio Posthumio Albino , Marco Philippo Coss. Marcus Fuluius de Aetolis triumphauit . Hannibal qui uicto Antiocho , ne Romanis traderetur , ad Prusiam Bithyniæ regem fugerat , repetitus etiam ab eo est per Titum Quintium Flaminium : & cum tradendus esset Romanis , uenenum bibit : & apud Libyssam in finibus Nicomedensium sepultus est . Eodem anno Scipio Africanus ab ingrata sibi urbe diu exulans , apud Linternum

Linternum morbo periit. Tunc Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente in mari est ædita. His quoque diebus actum est, quod de Heliodoro Machabeorum narrat historia. Philippo rege Macedonia mortuo, qui & aduersum Romanos bellum gesserat, & postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat: filius eius Perseus in Macedonia rebellauit, ingentibus copijs ad bellum paratis. Nam adiutores habebat Cotym Thraciæ regem, Illyrici regem Gentium nomine. Romanis autem in auxilium erant Eumenes Asiæ rex: Arariates Capadociæ, Antiochus Syriæ, Ptolemæus Aegypti, Massinissa Numidiæ. Prusias autem rex Bithyniæ, quanquam sororem Persei uxorem haberet, utrisque se æquum præbuit. Dux Romanorum P. Licinius COS. contra eum missus est, & à rege graui prælio uictus: neque tamen Romani, quanquam superati, regi petenti pacem præstare uoluerunt: nisi his conditionibus, ut se & suos Senatui, & populo Romano dederet. Mox missus contra eum Lucius Aemilius Paulus COS. & in Illyricum C. Anitius prætor contra Gentium. sed Gentius facile uno prælio uictus, mox se dedit. Mater eius & uxor & duo filij, frater quoque eius simul in potestatem Romanorum uenerunt, bello intra xxx. dies perfecto. Ante cognitum est Gentium uictum, quam coeptum bellum nunciaretur. Cum Perseo autem Aemilius Paulus COS. tertio nonas Septembris dimicauit: uictusque est rex cum xx. millibus peditum eius occisis. Equitatus cum rege interfugit. Milites quos amiserat, Romanis se dediderunt. Rex cum desereret ab amicis, uenit in Pauli potestatem: sed honorem ei Aemilius Paulus non quasi uicto adhibuit. Nam & uolentem ad pedes sibi cadere, non permisit, & iuxta se in sella collocauit. Macedonijs & Illyrijs hæc leges à Romanis datæ sunt: ut liberi essent, & dimidium eis tributorum præstarent, quæ regibus præstitissent: ut appareret populum Ro. pro æquitate magis quam avaritia dimicare. Itaque in conuentu infinitorum populorum Paulus hæc pronunciauit: & legationes multarum gentium, quæ ad eum uenerant, magnificentissimo pauit conuiuio, dicens eiusdem esse hominis debere & bello uincere, & conuiuij apparatus elegantem esse. Mox septuaginta ciuitates Epei quæ rebellarant, cepit: prædam militibus distribuit, Romam ingenti pompa redijt in naue Persei: quæ inusitatae magnitudinis fuisse traditur: adeo, ut xvi. ordines dicat habuisse remorum. Triumphauit etiã magnificentissime in curru aureo cum duobus filijs suis utroque latere astantibus. Ducti sunt ante currum regis filij, & ipse Perseus quadraginta quinque annos natus. Post eum etiam C. Anitius de Illyricis triumphauit. Gentius cum fratre & filijs ante currum ductus est. Ad hoc spectaculum reges multarum gentium Romam uenerant. Inter alios etiam & Attalus, atque Eumenes Asiæ reges, & Prusias Bithyniæ magno honore excepti sunt: & permittente Senatu dona attulerunt, & in Capitolio posuerunt. Prusias etiam filium suum Nicomedem Senatui commendauit. Anno ab urbe condita D. C. Lucio Licinio, Luculo Posthumio Albino COS. cum omnes Romanos ingens Celtiberorum metus inuasisset: & ex omnibus non esset, qui ire in Hispaniam uel miles, uel legatus auderet, Publius Scipio, qui post Africanus erat: ultro sese militaturum in Hispaniam obtulit cum tamē

cum tamē in Macedoniam sorte iam deputatus esset. Itaq; profectus in Hispaniam, magnas strages gentium dedit: sapius etiam militis q̄ ducis usus officio. Nam & barbarū prouocantem, singulariter congressus occidit. Sergius autem Galba prætor, à Lusitanis magno prælio uictus est: uniuersosq; exercitu amisso, ipse cum paucis uix elapsus euasit. Insequenti anno Lucius Minutius in Hispania bene pugnauit. Marcellus postea C O S. res ibidem prospere gessit.

TERTIVM PVNICVM BELLVM.



TERTIVM deinde bellum contra Carthaginem suscipitur, sexcentesimo & altero anno ab urbe condita, Lucio Mallio Censorino, & Marco Mallio consulibus, anno LI. postq; secundum punicum bellum transactum est. Hi profecti Carthaginē Carthaginensibus euocatis, iussisq; ut arma, & naues traderent: tanta uis armorū repente tradita est, ut facile ex eis tota Africa potuisset armari. Qui postq; arma Romanis tradiderūt, relicta urbe, recedere procul à mari, & decem millibus passuum habitare iussi sunt. Carthaginenses dolorem, ac desperationem contulerunt, aut defensuri ciuitatem, aut cum ipsa sepeliendi. Moxq; sibi duos Asdrubales duces creauerunt: armāq; facere aggressi, postq; æs, ferrumq; defecit: aurea, argenteaq; facere cœperūt. C O S S. cum aliquantā muri partem machinis diruissent, à Carthaginensibus uicti sunt, atq; repulsi. Quos fugientes, Scipio tunc tribunus militum, repulso intra muros hoste defendit. Phanceas dux alius equitatu Carthaginensium præerat. Igitur Scipio tunc Scipionis Africani nepos, tribunus, ut dictum est, militum ibi militabat: huius apud omnes ingens metus, & reuerētia erat. Nam & paratissimus ad dimicandum, & consultissimus habebatur. Itaque per eum multa à C O S S. prospere gesta sunt. Neq; quicquā magis Asdrubal uel Phanceas uitabant, quā cōtra eam Romanorum partem committere, ubi Scipio dimicabat. Per idem tempus Massinissa rex Numidarū, per annos sexaginta ferè amicus populi Ro. anno uitæ suæ XCVII. mortuus est. XLIII. filijs relictis. Scipionem diuisorem inter filios suos esse iussit. Cum igitur clarum Scipionis nomen esset: iuuenis adhuc C O S. est factus: & contra Carthaginem est missus: contra quam dum sex continuis diebus, noctibusq; pugnasset, ultima Carthaginenses desperatio ad deditiōnem traxit, petentes, ut quos belli dades reliquos fecisset, saltem seruire liceret: ac primum agmen mulierum satis miserabile, post uirorum descendit. Nam fuisse mulierum uiginti quinque millia, uirorum triginta millia, traditū est. Rex Asdrubal se ultro deditit. Transfuga, qui Aesculapij templum occupauerant: uoluntario præcipitio dati, igne consumpti sunt. Vxor Asdrubalis se, suosq; filios cum foemineo furore in medium iecit incendium. Ipsa autem ciuitas XVI. diebus cōtinuis arsit, miserumq; spectaculum suis uictoribus præbuit. Omnis multitudo captiuorū, exceptis paucis principibus, uenundata est. Diruta est autem Carthago, omni murali lapide in puluerem cōminuto: cuius fuisse

fuisse situs huiusmodi dicitur. Viginti duo millia passuum muro amplexa: tota penè mari cingebatur absq; faucibus, qua tribus millibus passuum aperiebantur. Is locus murum triginta pedes latum habuit, saxo quadrato in altitudine cubitorum quadraginta: à saxo, cui Byrse nomē erat, paulo amplius quàm duo millia passuum tenebat: ex una parte murus cōmunis urbis, & Byrse imminens mari, quod mare stagnum dicitur: quoniam obiectu protentæ linguæ strangu- latur. Spolia ibi inuenta, quæ de uariarum ciuitatum excidijs Carthago collegerat: & ornamenta urbium ciuitatibus Sicilia, Italia, & Africa reddidit, quæ sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno postq; condita erat, deleta est. Ita quarto anno postq; cœptum fuit bellum tertium terminatum est. Scipio nomē, quod auus eius acceperat, meruit: scilicet ut propter uirtutem eius etiam ipse Africanus iunior uocaretur.

BELLVM ACHAICVM.



ODEM tempore Corinthum, tunc toto orbe urbium longe omnium opulentissimam, imperante Mumio COS. Metellus prætor deuicit: in qua infinitum aurum, argentū, æs, & ferrum in cōflagratione incendiij cōmixtum est. Vnde nouum fluxit metalli genus, ad similitudinē cuius mixturæ usq; hodie, æs Corinthium, uel uasa Corinthia dicunt. Interim in Macedonia quidam Pseudophilippus arma mouit, & Romanum prætorem Publium Iuuentium cōtra se missum ad internitionem uicit. Post eum Quintus Cecilius Metellus dux à Romanis contra Pseudophilippum missus est: & uiginti quinq; millibus ex militibus eius occisis, Macedoniam recepit. Ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit. Corinthijs etiā bellum indictum est nobilissimæ ciuitati Græciæ propter iniuriam legatorum Romanorum. Hanc Mumius cepit, & diruit. Tres igitur Romæ simul celeberrimi triumphi fuerunt, Africani ex Africa, ante cuius currum ductus est Asdrubal: Metelli ex Macedonia, cuius currum præcessit Andrisus, qui & Pseudophilippus dicitur: Mumius ex Corintho: ante quem signa aenea, & pictæ tabulæ, & alia urbis clarissimæ ornamēta prælata sunt. Iterum in Macedonia Pseudoperfes, qui se Persei filium esse dicebat, collectis seruis rebellauit: & cum iam sedecim millia haberet armatorū, à Tremelio quæstore superatus est. His diebus Androgynus Romæ uisus, iussu aruspicum in mare merus est. Eodem tempore Metellus in Celtiberia apud Hispanos res egregias gessit. Successit ei Quintus Pompeius: nec multo post Quintus quoq; Cæpio ad idem bellum missus est, in quo quidem Viriatus contra Romanos in Lusitania gerebat. Quo metu Viriatus à suis interfectus est: cum quatuordecim annos Hispanias aduersum Romanos mouisset. Pastor primo fuit, mox latronum dux. Postremo tantos ad bellum populos concitauit, ut assertor contra Romanos Hispaniæ putaret. Huic nanq; primus sextus Vetilius prætor occurrit: qui toto exercitu cæso, uix fuga lapsus euasit. Deinde Caium T Plautium

Plautium prætorem idem Viriatus, multis prælijs fractum fugauit. Post hæc Claudium Vnimanum, cum omni exercitu superauit. Deinde cum interfectores eius præmium à Scipione COS. peterent, responsum est: nunquam Romanis placuisse Imperatores à suis militibus interfici. Eo tempore Romæ puer ex ancilla natus est quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, naturam uirilem duplicem habens. In Bononiensi agro fruges in arboribus natae sunt mense Ianuario.

BELLVM NUMANTINVM.



QVINTVS Pompeius deinde COS. à Numantinis, quæ Hispaniæ ciuitas opulentissima fuit, superatus, pacem ignobilem fecit. Post eum Caius Hostilius Mancinus COS. iterum cum Numantinis pacem fecit infamem, quàm populus & senatus iussit infringi: atq; ipsum Mancinum hostibus tradi, ut in illo quasi autore fœderis uindicarent: cum per continuos annos quatuordecim, cum solis quatuor millibus XL. millia Romanor: protriuisent. Post tantam igitur ignominiam, qua à Numantinis bis Romani exercitus fuerant subiugati, Publius Scipio Africanus secundo factus COS. & ad Numantiam missus est. Is primum militem uitiosum & ignauum, exercendo magis, q̄ puniendo sine aliqua acerbitate correxit. Mox pugna cum Numantinis commissa, exercitus Romanus oppressus Numantinorum impetu, terga conuertit. Sed increpatione & minis obiectantis sese COS. tandem indignatus in hostem redijt, & quem fugiebat, fugere compulit. unde q̄uis Scipio lætatus sit, tamen ultra bellum aduersus eos audendum non esse professus est. Itaq; urbem obfidiōne conclusit, uallo circumdedit. Cumq; diu conclusi fame laborarēt, pugnaq; facultatem exposcerent, ut mori eis quasi uiris liceret: nouissime larga prius portione calefacti, quæ madefactis frugibus confici solet, subito super Romanos irrupere. Atrox diu certamen, & usq; ad periculum Romanorum fuit. Iterumq; Romani pugnare se aduersus Numantinos fugiendo probassent: nisi sub Scipione pugnassent. Numantini interfectis suis fortissimis, bello cedunt: compositis tamen ordinibus, nec sicut fugientes in urbem reuertuntur. Corpora interfectorum ad sepulturam oblata, accipere noluerunt. Clausaq; urbe, cuncti pariter ferro, ueneno, atq; igne consumpti sunt. Romani nihil aliud quàm securitatem ex his adepti sunt: sc̄q; magis euasisse Numantinos, quàm uicisse dixerunt. Vnum Numantinum uictoris cathena non tenuit: quicquid supellectilis fuit, ignis assumpsit. Tunc Scipio Tiresium quendam Celticum principē consuluit, qua de causa, Numantia aut prius inuicta, aut post euerfa fuisset. Tiresius respondit. Concordia uictoriam, discordia exitium præbuit. Hac tēpestate apud Iudæos occiso Iuda Machabeo, frater eius Ionathas pontifex habebat. Tunc etiam claruit apud Brundisium Pacuius tragicædiarum scriptor. Igitur Scipio multas Hispaniæ ciuitates partim cepit, & partim in deditionem accepit. Numantiam

mantiam à solo euertit: reliquam prouinciam in fidem accepit. Eodem tempore Attalus rex Asiae, frater Eumenis, mortuus est: haredemq; populum Romanum reliquit. Ita imperio Romano per testamentum Asia accessit. Mox etiam Decimus Iunius Brutus, de Callicis & Lusitanis triumphauit magna gloria. Et post Scipio Africanus de Numantinis secundum triumphum egit XIII. anno postquam priorem de Africa egerat. Interea in Sicilia bellum est seruile exortum: ac per Fuluium, & Rutilium amplius quam uiginti millia tunc seruorum trucidata sunt: Minturnis CCCCL. serui in crucem suspensi sunt: apud Sueffam uero IIII. millia seruorum à Quinto Metello, & Cn. Seruilio oppressa narrantur. Motum interim in Asia bellum est ab Aristonico Eumenis filio, qui ex concubina conceptus fuerat: Is Eumenis frater Attali fuerat. Aduersus eum missus est L. Crassus, habens infinita regum auxilia. Nam & Bithyniae rex Nicomedes Romanos iuuat: & Mithridates Ponticus, cum quo bellum postea grauissimum fuit, & Ariarates Cappadox, & Pylemenes Paphlagon: uictus est tamen Crassus, & ab hostibus captus est, qui magis mori eligens, quam à barbaro abduci, uirgam, qua equum agebat, in oculum se tenentis iniecit: moxq; ab eo confossus est. caput Aristonico oblatum est: corpus Smyrnae sepultum est. Postea Perpenna COS. Romanus, qui successor Crasso ueniebat, audita belli fortuna, ad Asiam celerauit: & acie uictum Aristonicum apud Stratonicensium ciuitatem, quò confugerat, fame ad deditonem compulit. Aristonicus iussu senatus Romae in carcere strangulatus: Triumphari enim de eo non poterat: quia Perpenna apud Pergamum Romam rediens diem obierat. His diebus tanta per totam Africam locustarum multitudo conualuit: ut simul fruges, & herbas, arborum folia, corticesq; corroderent: quae repentino uento sublatae, in Africano sunt pelago demersae. Sed cum earum acerbos fluctus per extenta litora pertulissent, pestiferum odorem putrefacta congeries exhalauit. Vnde omnium animantium, auium, pecudumq; ac bestiarum pestis existens, uitium corruptionis ampliauit. Qua pestilentia in Numidia DCCCC. millia hominum: circa Carthaginem uero plus quam CC.M. Romanorum uero militum, qui ibi ad praesidium erant, XXX.M. extincta sunt. Lucio Cecilio Metello, & Tito Quintio Flaminio COS. Carthago in Africa iussu Senatus reparata est, quae nunc manet annis duobus & uiginti euolutis, postquam à Scipione fuerat euersa, deducti sunt ciues Romani. Anno sexcentesimo uigesimo septimo ab urbe condita, Caius Cassius Longinus, & Sextus Domitius Caluinus COS. Gallis transalpinis bellum intulerunt, & Aruernorum tunc nobilissimae ciuitati, atq; eorum regi Bituito: infinitamq; multitudinem iuxta Rhodanum fluuium interfecerunt. Deniq; cum Bituitus paucitatem Romanorum uix ad escam canibus, quos in agmine habebat, sufficere posse iactaret: & ipse CLXXX. millia armatorum haberet, conferta pugna, à Romanis superatus est. Ex cuius exercitu partim in bello caesi, partim submersi cum ponte, quem sibi iunctis nauibus supra Rhodanum extruxerant, CL.M. perierunt: praeda ex torquibus Gallorum ingens sublata est. Bituitus se Domitio dedit, atq; ab eo Romam deductus est, magnaq;

T 2 gloria

gloria COSS. ambo triumpharunt. Marco Porcio Catone, & Quintio Martio rege COSS. sexcentesimo trigesimo anno & tertio ab urbe condita, Narbona in Gallia colonia deducta est. Annóque eodem, à L. Metello, & Quinto Lucio Scæuola COSS. de Dalmatis triumphatum est. Ab urbe condita anno sexcentesimo trigesimo quinto, Caius Cato consul, Scordiscis intulit bellum, ignominiosèque pugnauit. Caio Cecilio Metello & Cneo Carbone COSS. duo Metelli fratres eodem die, alterum ex Thracia, & Sardinia alterum triumphum egerunt: Nuntiatumq; Romæ est Cymbros è Gallia in Italiam transisse. Post Scipio Nasica, & Calphurnio Bestia COSS. Iugurthæ Numidarum regi bellum illatum est: quod Aderbalem & Hiempalem Micipsæ filios, fratres suos reges, & populi Romani amicos interemisset. Missus aduersus eum COS. Calphurnius Bestia, qui corruptus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosam fecit: & à senatu improbata est. Postea contra eundem in sequenti anno Spurius Albinus Posthumius profectus est. Is quoque per fratrem ignominiosè contra Numidas pugnauit. Tertio missus Quintus Cecilius Metellus COS. Is exercitum ingenti seueritate & moderatione correctum, cum nihil in quenquam corruptum faceret, ad disciplinam Romanam reduxit. Iugurtham uarijs prælijs uicit: Elephantes eius occidit uel cepit: multas ciuitates ipsius cepit. Et cum iam finem bello positurus esset, successum est ei à Caio Mario. Is Iugurtham & Bocchum Mauritanix regem, qui auxilium Iugurthæ ferre cœperat, pariter superauit. xx. millia armatorum ad internitionem cecidit: aliquanta oppida Numidiæ cepit, belloque terminum posuit, capto Iugurtha per quæstorem suum Cornelium Syllam ingentem uirum, tradente Boccho Iugurtham, qui pro eo ante pugnauerat. A Marco Iunio Syllano collega Quinti Metelli, Cymbri in Gallia uicti sunt. Et à Minutio Rufo, in Macedonia Scordisci & Triballi: & Seruilio Scipione, in Hispania Lusitani uicti sunt. Et duo triumphi de Iugurtha, primus per Metellum, secundus per Marium acti sunt: ante currum tamen Marij, Iugurtha cum duobus filijs ductus est cathenatus: & mox iussu COS. in carcere strangulatus est. His diebus apud Hierosolymam Ioannes dux Iudæorum, & pontifex extitit: qui ab eo, quod Hircanos bello uicerat, Hircani nomen acceperat. Per id etiam tempus Cicero Arpini nascitur, matre Eluia nomine, patre equestris ordinis ex regio Volscorum genere. Eodemque tempore, quædam uirgo Romana in Appuliam pergens, ictu fulminis exanimata est, omnibus sine scissura aliqua uestimentis ademptis, ac pectoris & pedum uinculis dissolutis, monilibus etiã annulis discussis, illæso corpore nuda iacuit: equus quoque eius pari modo frenis, & cingulis peremptus iacuit dissolutis.

Eutropij